



Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1553. usque ad annum 1557

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 9011857X

§. 107. Annebaldi Cardinalis fata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66565](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66565)

Sæcul. XVI
A.C. 1557.

nam Toleti ex calculi doloribus ferme octogenarius Anno Christi millesimo quingentesimo quinquagesimo septimo die trigesima prima Maij fatis functus, sepultusque est in Ecclesia a se ædificata pro illis virginibus, quas etiam in supremæ voluntatis suæ tabulis omnium bonorum hæredes scripserat, ut in honestiori connubio collocari possent. De cetero quasdam concinnavit paraphrases in orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam unacum annotationibus in Canticum *Magnificat*, quas Mariæ Angliae Reginæ præter tractatum de legibus, & Ecclesiæ Toletanæ statutis nuncupabat. Porro superstitem reliquerat fratrem suum nomine Laurentium, qui aliquam puellam ex Cavajalorum genere progenitam sibi matrimonio sociavit.

§. CVII.

Annebaldi Cardinalis fata.

Aubery l. c. Alter ex Cardinalibus hoc anno defunctis erat Jacobus Annebaldus natione Gallus in Normanniæ Provincia ex Joanne Annebaldo, & Maria Blosfata natus, fratremque habuit Claudium Annebaldum Marescallum, & Gallicæ classis Præfectum. Is clericali militiae adscriptus Joannis La Veneur, seu Venatoris Avunculi sui curæ tradebatur,

tur, eidemque in Lexoviensi Episco-
Sæcul. XVI.
patu, & Beccensi Abbatia succedebat, A C. 1557.
tandem vero ad preces Fratris sui Fran-
cicæ classis Præfecti, qui tum in aula plu-
rimum potentia valebat, rubrum Gale-
rum obtinuit a Paulo III. Papa Mense
Decembri Anno Domini millesimo quin-
gentesimo quadragesimo quarto Cardi-
nalium numero adscriptus, qui tamen,
licet per integros sexdecim annos Car-
dinalitia dignitate fulgeret, nunquam
Romanam urbem accessit: cum autem
illius Frater Regis indignationem in-
curreret, ipsemet pariter ab aula re-
cedere, ac Rothomagum sese recipere
cogebatur, ubi etiam extremum diem
clausit, die nona Junii Anno reparatæ
salutis millesimo quingentesimo quin-
quagesimo septimo, quamvis Scripto-
rum nonnulli illius obitum ad annum
sequentem rejiciant. Corpus ejus Le-
xovii in ejus Ecclesia Cathedrali prope
Cathedram Episcopalem terræ manda-
tum quiescit.

§. CVIII.

*Fabius Mignanellius Cardinalis
mortuus.*

Tertius erat Fabius Mignanellius pa- *Pallav. hist.*
tria Senensis, qui Anno Christi mille- *Conc. Trid.*
simi quadringentesimo nonagesimo sexto *l. 10. c. 8.*
primam lucem aspexit, atque a pa- *n. 1. l. 11.*
renti- *c. 1. n. 9. &*
l. 13. c. 6. n. 2.